



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem

Scardeone, Bernardino

Venetiis, 1542

Quid potissimum conueniat uiduis ad conseruandam continentiam cap.
xviii

urn:nbn:de:hbz:466:1-30433

LIBER SECVNDVS. 44

Quæ nam ergo honesta uidua talibus exemplis moni, debet aut imbecillitate animi, aut sexus infirmitate terreri: quo minus constanti animo proposito uidualis continentia prosequatur: quum & uiduis, & pupillis, ubique præsto sit Deus: qui & pater orphanorum, & iudex esse dicitur uiduarum: Ne quæso dicas destituta sum, defunt cognatorum fauores, & amici recesserunt. Vxor undique, & opprimor, omni oppleta amaritudine. Eia ne dubites, in domino confidas, nunquam te deseret Christus, qui suscepit patrocinium pupillarum & uiduarum. Vnde Paulus apostolus dicit.

Quæ uere uidua est, & desolata speret in Deum, & inflet obsecrationibus, & orationibus nocte, ac die: nam quæ in delitiis est, uiua mortua est. Nequaquam ergo uerendum est tibi, quod sola uidearis: quia sola non est, cui semper Christus dux est. Quo nam modo potes dici solam quum templum Dei sis: & ubicunque es, sine Deo esse non possis: Sed nec desolata es, quum Christum habeas patronum: habes autem si casta es, si cum eo mente diu noctuque uerferis: ut in eo confidas, ut de eo loquaris, ut de eo cogites. Castitas enim uidualis non eget uiri consortio: sed amat moerorem, fletum, labores, secretum, ac solitudinem: sicut incontinentia consortium, delicias, celebritatem, conuentum.

1. Tim. 5

Quid potissimum conueniat uiduis ad seruandam continentiam. Cap. XVIII.

Quod portet ergo uiduam quantum potest, uirorum declinare consortia, simulque omnes uitare delicias, quæ usque adeo impugnant pudicitiam: ut mulier his assueta delitiis etiam si uelit, publice continenterque uiuere non possit. Sicut enim diuturnum absque infidelis uiri mulierisque consortium, esse non potest: ita pari ratione muliebres deliciae, seu potus ineptiae, suspicionem libidinis carere non possunt. Nam nihil est quod uiduitatis



DE COELIBATV

1. Ti. 5

Luc. 2

proposito officere consuevit, q̄ opulentia, & delitiæ: iccirco dixit Apostolus. Vidua, quæ delictis uacat, uiuens mortua est. Quam ob rem satis constat, q̄ sicut secundæ res, & affluens luxus impulerunt multas in barathrū incontinentiæ, ita econuerso q̄ plurimas multiplices angustia, & lugubris habitus, labor, & fletus conseruaerunt pudicas. Pallor, & sordes (ut ait, D. Hieronymus) gemmæ sunt uiduarum. Resecant hæc quidem libidinem, exercentq̄, ac reprimunt iuuentutem. Vnde legitur poeticum illud. (Præstabat castas humilis fortuna sabinas.) Quali autem, quantaq̄ religione esse oporteat uiduam, quæ continere decreuit, in Annæ Phanuelis uita monstratur: quæ (ut in euangelio legitur) septem annis à uirginitate sua immaturo uiri obitu derelicta, usque ad quartum & octogesimum annum in castitate permansit: nusquam à templo recedens, ieiuniis, & orationibus uacans: nihilq̄ minori studio castitati, q̄ officio religionis intenta. Et iccirco meruit uidere Christū infantem, & diuino afflata spiritu ante redemptionem noscere redemptorem.

Contra quarundam uiduarum incontinentiam. Cap. XIX.

Sed heu q̄ longe ab ea continentia, atque uiuendi sanctitate, recedunt impudicæ quædam mulieres nostri æui, quæ uiduitatem quidem uerbo tantum tenent, sed re ipsa sanè prostant, meretricium uerius quàm coelibatum profitentes. Hæ sunt quæ comptæ magis q̄ uelatae sapius procedunt in medium uirorū: & ad speculum sese pingentes, ac fingentes, in contemptum, & contumeliam summi artificis Dei, conantur longe pulchriores hominibus uideri, q̄ natæ sunt. Harum studiū est, supercilia circumducto nigrore fucare, comas, & genas mendaci rubore, & adulterinis coloribus ementiri: